Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1066
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

amplexu sua tibi solacia intolleranter pena occasio et iniuriarum tibi erit origo dolorum. Nam tu amatricis mulieris ipsius affectaveris solicitudinis sentire solacia et eam cognoveris alterius libidinis commisceri et alium tibi praeripere ad amplexus, quanta inde doloris amaritudo procedat nullatenus nisi expertus plenius erudiri. Ex his igitur que diximus tibi debet plenarie esse manifestum quod ubi facilis rei petite largitio ibi amorem constat abesse. Ita ubi feminam tanta delectat libido quod unius non potest se vinculis obligare sed plurium desiderat voluptatibus commisceri, ibi amor sibi locum valet nullatenus invenire. Amor enim verus tantum duorum corda dilectionis iungit affectu quod aliorum non possunt desiderare amplexus sed cunctorum student tanquam horrenda solacia evitare et mutuis se mutuis conservare. Et evidenter esse inferimus facilis petite rei largitio quod in honore nimia voluptatis habundantia nominatur quam constat ab amoris aula penitus exulare. Cum enim tante carnis voluptate vexatur et ex cordium affectu nullius se valeat amplexibus colligare sed quascumque videt eas impudico a te concupiscat. Hic quidem non amator sed adulator vocatur amoris ac simulator et est canis deterior impudico. Immo impetuosus metuitur tamquam asinus iudicari, que tanto corporis petulantia movet ut nullius se posset affectum astringere. Ergo tibi cum enim appareat quod nimia voluptatis habundantia presumus tenearis abire. Et nullatenus minus facile petite rei concessionem esse agnoveris amorem tibi non expedit postulare.

Ca[pitu]lu[m] xix

De amore Rusticorum

Sed ne id quod superius de plebeiorum amore narravimus ad agricultores credatis esse extendendum, de illorum tibi breviter amore subiungamus. Dicimus ergo vix contingere posse quod